DISPUTATIO HISTORICA

DE

CYRO,

MONARCHIÆ PERSICÆ AUCTORE,

Quam,

Una cum annexis Miſcellaneis,

ANNUENTE MONARCHA SUPREMO,

CONSENSU

SAPIENTISSIMI PHILOSOPHORUM COLLEGII,

Vacante Profeſsione Hiſtoricâ,

Modeſto Competitorum Examini

ſubjicit

M. JOH. LUDOVICUS FREY,

S. M. C.

RESPONDENTE

LECTISSIMO JUVENE

LUCA FESCHIO, PHIL. BACCAL.

Ad diem 13. Jul. An. M. DCC. VI.

BASILEÆ,

Typis EMANUELIS KÖNIG, Senioris.

Digitized by Google

DISSERTATIO HISTORICA, DE CYRO, MONARCHIÆ PERSICÆ AUCTORE.

CYRI primi Monarchiæ Perſicæ Auctoris, hiſtoriam, tot mirandis atq; nobilibus Providentiæ divinæ ſpeciminibus inſignem, tot editis ſtragibus, reportatis victòriis, debellatis gentibus, expugnatis Urbibus, ſubverſis Imperiis, aliisq; variantis fortunæ ludibriis claram, tot tandem difficultatibus, ex immenſo propemodum Hiſtoricorum diſſenſu ortis preſſam, tradere, verùm in compendio, aggredior; omninò exiſtimans, laborem hunc qualemcunque, nec Doctioribus inamœnum, nec mihi meique ſimilibus, qui quotidiè proficere amant, in enodatione variorum locorum, elucidationeque prophanæ pariter ac ſacræ Hiſtoriæ, inutilem futurum. Non lubet equidem ſingulas excutere minutias atque apices, nec omnibus Chronologicis nodis expediendis diu ſubtiliterque, & fortè fruſtra inſudare; quæ res, ut ſpiſſum volumen, multumque otii, ita majorem, quam penes me reperitur, peritiam rerumque cognitionem requirit. Sequar ergò tantùm ſumma faſtigia rerum, eaq; delibabo, quæ vel jucunditate aliquâ, vel utilitate, vel etiam ſingularitate animis φαντάσιν ſeſe commendare apta nata ſunt, hoc quidem ordine uſurus, ut primùm, quæ ad nativitatem, tùm, quæ ad educationem atque juventutem; porrò, quæ ad res geſtas præcipuas, tandem,

tandem, quæ ad obitum Herois hujus ſpectant, quanto poſſum, ſtudio, ſim narraturus, admixtis nonnullis controverſiis hiſtoricis, adjunctisque, quæ amplitudinem Imperii, dignitatem Perſonæ, ejusque Conjugia concernunt.

I. CYRUS, (quæ vox Perſicè Cteſiâ & Plutarcho teſte, *Solem* notat, nec malè cum Hebræorum חרס idem ſonante & ſignificante convenit; fruſtrà Græculis nonnullis à V. Κυρέω eam derivantibus) natus eſt, anno juxta calculum Uſſerii, Per. Jul. 4115. Mundi 3405. ante æram Chriſt. 599. Patre Cambyſe Persâ, Matre verò Mandane Aſtyagis Medorum Regis filiâ, conſentientibus omnibus antiquis, uno excepto Cteſiâ, qui Cyrum ſanguine junctum fuiſſe Aſtyagi (vocat ille Aſtyigan:) pernegat. Sed tanti non eſt hujus etiam in aliis ſuſpecti Authoris diſſenſus, ut conſenſui totius Vetuſtatis prævalere queat.

II. Majoris momenti diſcrimen eſt Authorum circa Parentem Cyri Cambyſem, quem Xenophon Perſarum Regem ex genere Perſidarum oriundum, Herodotus verò & Juſtinus hominem mediocrem, ex obſcura tunc temporis familia Perſarum (quod à Regiâ dignitate multùm abludit;) fuiſſe ſcribunt. ὁ δὲ (ait Herodotus) Πέρσῃ οἰδοῖ, τῷ οὔνομα ἦν Καμβύσης· τὸν ἐξεπόησε ἀνηκέστῳ μοίρῃ ἐόντα ἀγαθόν, πρόσω δὲ ἐσηγάγετο, νομίζων ἐπιγνώσεσθαι παρ' αὐτοῦ μέσου ἀνδρὸς Μήδου. *Ille verò* (Aſtyages) *Perſæ cuidam, nomine Cambyſi* (filiam) *dat; quem compertum habebat familiâ quidem bonâ ortum, caterùm ingenio ſedato, gerentemq; ſe multò infra mediocris Medi alicujus conditionem.* Addunt Authores iſti rationem, quâ motus Aſtyages Filiam tam plebejæ ſortis homini deſponderit; vidiſſe ſcilicet Illum per ſomnum, ex naturalibus Filiæ vitem enatam, cujus palmite omnis Aſia obumbrata fuerit: hoc, cùm conſulti harioli de nepote ex Filia aliquando orituro, totamque Aſiam perdomituro, interpretati fuiſſent, perterritum Aſtyagem illam obſcuro huic Cambyſi in matrimonium collocaſſe, ut hâc ratione nepoti fortè ex ea naſcituro, omnis ſpes regni obtinendi adimeretur. Præmittit huic ſomnio Herodotus aliud ejusdem ſignificationis, de Mandane tantum urinæ emittente, ut inde tota Aſia inundaretur. Quomodo hæc ſint concilianda, aut quisnam Scriptor alteri ſit præferendus,

Lib. 1. Hiſt.

ſerendus, licet equidem hariolari, pro certo quicquam affirmare haud licet. Herodoti narratio ideò non videtur probabilis, quia Aſtyages non ſat rationis habuit, cur Filiam unicam ignobili homini collocaret. Quid enim? Nonne potius lætari debuiſſet Senex, quòd ſibi aliquando nepos naſciturus eſſet, qui totam Aſiam perdomiturus eſſet? Nonne idcircò Filiam potenti alicui Regi nuptui dare potius, quam plebejo alicui debuiſſet? Ab altera parte ſuſpectam reddunt Xenophontis narrationem conſenſus Veterum de primo Perſarum Rege Cyro, ut qui primus Perſas (non loquor de veteribus Achæmenidis, quos in Perſia olim regnaſſe, plurimi tradunt) Medis antè ſubjectos à Phraorte, perdomuerit. Præterea labefactant idem teſtimonium perpetuum Authoris aſſentandi ſtudium ubique erga Cyrum in illis Libris elucens; quâ re fieri facile potuiſſet, ut, celatâ hominis obſcuritate, magis ſe honori Cyri conſulturum putaverit, ſi Patrem Regem ei aſſignaret. Sed nec ipſe Xenophon de eo ſatis certus fuiſſe videtur, fallaci id tantùm traditioni acceptum referens: Παῖδα μὲν δὴ, ait, λέγεται ὁ Κῦρος γενέσθαι Καμβύσεω Περσῶν βασιλέως. *Dicitur, Cyrum natum eſſe Cambyſe, Perſarum Rege*; Lib. 1. Inſt. Cyri. cùm tamen de Matre ejus mox longè confidentius, quaſi certum ab incerto diſterminaturus, addat: Μητέρα δ' ὁμολογοῦσι Μανδάνην γενέσθαι· *Omnes autem fatentur, Matrem ejus Mandanem fuiſſe.* Quàm facilè rumor aliquis incertus in ore vulgi natus, Filium Cyri Cambyſem Patri ejus cognominem miſcere cum ipſo Patre, eique dignitatem Regiam, quam Filius habuit, conferre potuiſſet! In tam ἀδήλοις ſatius eſt nihil definire; videtur tamen Xenophontis recenſio majoribus difficultatibus urgeri, quàm illa Herodoti.

III. Aſtyages, collocatâ Cambyſi Gnatâ, nec tamen vel hoc modo ſuæ ſecuritati ſatis conſultum ratus, conſilium agitat de infante ex ea prodituro, è medio tollendo. Quam in rem gravidâ filiâ ad ſe vocatâ, natum ex ea Filium Harpago cuidam, quo perquam familiariter utebatur, quemque omnium arcanorum participem fecerat, occidendum tradit. Is Regis crudelitatem averſatus, Filiæque iram formidans, Regio Paſtori (Mithridates ei nomen) puerum exponendum dat. Uxor Paſtoris, cui & ipſi ſorte fortunâ infans natus erat, auditâ re, ſummis precibus

bus à marito flagitat, ut ſibi ſaltem copia videndi Regii infantis detur; nec finem orandi facit prius, quam ille in ſylvam reverſus, puerum, à cane fœmina interea lacte nutritum (ſic Juſtinus, ſed per errorem, cujus fontem Herodotus aperit, notans altricem Cyri Spaco, i.e. Canem nominatam:) ſibi attuliſſet. Quem conſpicata mulier ſuaviter ridentem & quaſi blandâ prece ubera poſcentem, complexa ſibi retinet, ſuumque mirâ fortunæ ſorte, Marito exponendum porrigit. Ita, quem Regia crudelitas neci deſtinavit, ruſtica benignitas exitio exemtum ſervavit.

IV. Educat ergò Ruſtica alienum infantem pro ſuo. At ille medios inter ruſticorum pueros luculenta haud ſordidæ indolis indicia edit. Accuſatus aliquando coram Rege Aſtyage ob puerum aliquem nobilem inter ludendum paulò durius verberatum, ut Regem id ſe feciſſe, inſigni vultûs conſtantiâ, regerit. Admiratus Rex pueri promtum & generoſum animum, vultumque paulò propius intuitus, quis eſſet, & unde accepiſſet, Paſtorem interrogat: (obverſabantur nimirũ Regi & ſomnium, & expoſitionis tempus, & vultus ſimilitudo, quæ omnia in illum convenire videbat:) à quo, cùm omnia reſciviſſet, haud ſine ingenti lætitia nepotem agnitum recepit: non ideò tamen Harpago ob ſervatum infantem æquior factus. Ejus enim filium 13. annos natum non multo pòſt in ultionem neglecti mandati Regii Patri epulandum dedit. Quæ res ipſa in cauſa fuit, ut quod Rex tantâ ſollicitudine præoccupare conatus eſt, id inde eventum ſuum ſortitum fuerit. Bellum enim ſecutum fuit Nepotis adverſus Avum, quo hic regno Aſiæ exutus in illius manus pervenit: quod ſic ſe habuit:

V. Harpagus diu diſſimulatum dolorem ex interfectione gnati conceptum tandem, oblatâ occaſione, proferre, ac ab Aſtyage vindictam ſumere in animo habens, mittit epiſtolam exenterato lepori (id propter aditus omnes cuſtodibus obſeſſos factum:) infertam ad Cyrum, antea in Perſidem ad Parentes ablegatum: ſignificat, quâ crudelitate avus erga eum uſus ſit, ut parvulum necandum tradiderit, ut ſuo beneficio ex adverſo ſervatus ſit; monet, ut ultionem meditetur, Perſasque ad rebellandum ſtimulet, ut cum inſtructo exercitu Medos bello aggrediatur, nihil non à ſua parte pollicitus. Acceptis ille literis,

contra-

Digitized by Google

contractoque exercitu ex Arteatis, Pasargadis, Meraphiis, Pantelæis, &c. aliisque Persarum generibus, contra Astyagem movet, postquam prius milites lauto epulo in spem futuræ libertatis excepisset. Astyages, his auditis, & ipse suos armare, Harpagumque, oblitus exercitæ erga eum crudelitatis, illis Ducem præficere. Fit congressus: Medis plerisque duce Harpago ad Persas transitionem facientibus, reliquis in fugam conjectis, Cyrus victoriâ potitur. Verumenimverò clades ista Astyagis animum nondum fregerat. Repetit ergò certamen, & contractâ majori manu, quam antè habuerat, Cyrum aggreditur, Ipse nunc Dux exercitûs factus. Jam in eo erat, ut victa Persarum acies cederet, cum Matres Uxoresque Persarum Viris obviam factæ, non sine acerba castigatione & conviciis illos in prælium redire cogunt. Animos inde resumunt & manus conserunt Persæ, tali quidem successu, ut Medi fugarentur, ipseque Astyages vivus caperetur; quem tamen Cyrus, quoad vixit, benignè habuit, &, Justino teste, maximæ Hyrcanorum genti præfecit. Hic finis fuit Regni Astyagis, cui præfuit per annos 35. ac totius Imperii Medorum, quod stetit ann. 350. Hæc ferè Herodotus & Justinus.

VI. At verò Xenophon in omnia hîc alia abit, pleraque ista vel silentio involvens, vel etiam his contraria ac toto cœlo diversa narrans. Tacet & infantis expositionem & crudele facinus Regis erga Harpagum, cujus ne nomen quidem apud eum occurrit; unde & universi hujus belli Medici Nepotis adversùs Avum, tam prolixè Herodoto aliisque descripti, ne verbulo quidem mentionem facit. E contra multis recenset, ut infans apud Parentes in Persia fuerit educatus, in patriis legibus moribusque institutus, omnivariis exercitiis juvenilibus imbutus, ut illum Astyages duodecimum annum egressum, ejus videndi desiderio flagrans, una cum Matre ad se arcessiverit, ut juvenis generosam indolem, virtutes, studia, mores Seni approbaverit, ut annum 16. agens Regis Assyriorum Filium, qui venandi cupiditate accensus Medorum fines, loca nimirum feris abundantia, armatâ manu ingressus est, veteres inde expulsurus incolas, ut, inquam, adolescentem illum una cum Cyaxare avunculo jussu Astyagis, equestri potitus victoriâ, repulerit, ut cognitâ ejus virtute

tute à Patre in Perſiam revocatus, illuc reverſus ſit, annum adhuc inter pueros acturus, ut tandem, interjecto aliquo tempore, Aſtyages vitâ functus ſucceſſorem reliquerit Filium Cyaxarem, Mandanes Fratrem. Hæc aliaque quomodo cum Herodoteis ſint concilianda, vel quisnam Hiſtoricus, explosò altero, ſit ſequendus, in tanta rerum caligine ac antiquæ Hiſtoriæ defectu, quis Oedipus monſtrabit? Diceres Xenophontem de alio planè homine agere.

VII. Sanè in quaſcunque me vertam partes, viam non invenio, quâ ἀνλκείμενα hæc in gratiam redigi queant. Dicamne Xenophontem ea narrare, quæ Herodoto quâcunque demum de cauſa, tacita ſint; at præterquam quod tam pertinax ſilentium in tam memorabilibus in Hiſtorico fideli excuſari haud poſſit, talia etiam habet, quæ adversâ fronte pugnant cum illis Herodoti, ut unicuique intuenti planum eſt. Convenientiam equidem aliquam in hoc animadverto, quòd unus infantem 10. circiter annos natum, alter 12. primâ vice Regi adductum, referat; at quam exiguam convenientiam! nec tamen illam planè ſine pugna. Dubitabone de certa cognitione aut bonâ fide Hiſtoricorum? At cujus? num utriuſque? num Xenophontis? qui ipſe non longo admodùm tempore pòſt vixit, & cum Cyro Juniore contra Artaxerxem Fratrem in bellum Perſicum profectus, nullo negotio veritatem indagare potuit. An verò Herodoti? qui quidem vulgò fabuloſus audit, attamen haud rarò multis aliis Hiſtoricis præſtat, nec rationem ullam habuit, omnia confingendi: præterquam quod Xenophontem antiquitate adhuc ſuperet. Expediant hos ſimilesque nodos, qui poſſunt: hìc fateor meam imbecillitatem. Id tamen diſſimulare nequeo, fidem vix me poſſe ſubſtringere meam Xenophontæis omnibus narrationibus, magisque inclinari ad recipiendam hac in parte Herodoti hiſtoriam, demptis nonnullis fabuloſis, ut videtur, circumſtantiis. Qui enim vel levi attentione Illius Libros *de Inſtitutione Cyri* evolverit, facilè animadvertet, illum miro ſtudio partium, ſortè in gratiam Cyri Junioris, duci, nihil niſi Cyri virtutes Regias, tacitis vel perparcè tactis vitiis, crepare, nihil niſi magnitudinem rerum geſtarum, gloriam, victorias, deprædicare. Quid ergò mirum, ſi elogio potiùs quàm Hiſtoriæ

maximi

maximi Regis intentus, silentio præteriisset, quæ nomini ejus probrosa, adjunxisset autem, quæ glorioſa futura existimavit? Præterea habet Herodotus in antiquis haud paucos, neque infimæ notæ Viros ipsi astipulantes, quoad Astyagem à Cyro victum, in circumstantiis licet variantes; qualis Strabo, Polyænus, &c. ipseque Ctesias, qui alias πρὸς τὰ ἄπαντα ἀντικείμενα Ἡροδότῳ ἱστορεῖ. *ferè in omnibus repugnantia Herodoto narrat*, καὶ ψεύστην αὐτὸν κέκληκεν καὶ λογοποιόν. *illumq; in multis mendacem & scriptorem fabularum appellat*; ut Photius inquit: hic ipse tamen Ctesias, fugisse Astyagem à conspectu Cyri, ab eoque captum ac compedibus vinctum crassis fuisse, non multò post tamen liberatum, nec secus ac patrem habitum, refert. Verùm cohibeo plenum assensum, donec doctiores aut tempus certiora doceant; satius ratus ignorantiam profiteri, quam ea scire velle videri, quæ nescio.

VIII. Astyage superato, haud ita multo pòst (minutiora hìc mitto) novo bello implicitus est Cyrus, quo ejus potentia non parùm aucta est. Prioris victoriæ præmium fuit Asia usque ad Halym fl. hujus autem, Asia reliqua, quæ inter Euxinum, Pamphyliumque mare usque ad Ægeum protenditur. Erat tùm in Asia Rex ditissimus pariter ac potentissimus Crœsus Lydis imperans, qui augescentem quotidie Cyri potentiam ægro animo ferens, tùm etiam Astyagen affinitate sibi junctum in libertatem vindicaturus, vel, ut Xenophon, Assyriis fœderatis opem laturus, bellum illi inferre statuebat. Non deerant equidem, qui Crœso hoc sapienter dissuadebant: quibus tamen omnibus surdas aures præbebat, propriarum virium opinione inflatus, oraculique Delphici prædictione deceptus: Κροῖσος ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει: quam ille de exercitu Cyri à se profligando interpretatus est. Jungit se ergò Babyloniis aliisque, electusque exercitus Imperator Halym fluvium, Mediam à Lydia disterminantem, trajicit, ibique expugnatâ Pteriâ urbe, reliquas etiam ejus tractûs invadit. At Cyrus, nequicquam priùs Jonibus ad defectionem à Crœso sollicitatis, numeroso exercitu instructus, prælium committit, in quo æquo marte utrinque pugnatum. Crœsus moram nactus, Sardes in regiam regressus est, certus illic per hyemem quiescere, ac ineunte vere Persas majo-

ribus

ribus viribus denuò aggredi. Verùm Cyrus certior factus, Crœsum auxiliarios dimisisse, subitò cum suis ei supervenit. Consternatus Crœsus inopinato hostium adventu, equestrem exercitum, quo maximè valebat, in Cyrum educit; qui, animadversâ naturali equorum & camelorum ἀπαθείᾳ, equis Camelos opponit, quorum odorem cum equi ferre non possent, equites, turbatâ acie, è prælio recedere coguntur. Fit ergò conflictus inter pedites, Lydique à Persis fugati Sardes se recipiunt. Insecuti Persæ ad Urbis expugnationem accinguntur, magnis promissis præmiis, qui primus murum ascendisset. Protinus adest Mardus quidam Hircades nomine, qui in parte quadam muri, excubitoribus vacuâ, illum conscendit; quem secuti alii atque alii Urbem cepêre post 14. dierum obsidionem, Crœsusq; ipse in potestatem Cyri concessit. Ann. P. J. 4166.

IX. Crœsus à Victore incendio damnatus, cum Solonis nomen, pyræ ingenti impositus, bis vel ter inclamasset, sciscitante Cyro, hæc appellatio quid sibi vellet, & quid hoc hominis esset; tacuit; denuò rogatus, hominem fuisse Atheniensem, respondit, sapientiâ inclytum, qui se olim nimiâ felicitate exultantem, monuerit: Μηδένα φάναι τῶν ζώντων ὄλβιον; *Neminem mortalem ante obitum beatum dici oportere*; hujus effati veritatem se nunc experientiâ edoctum intelligere. Cyrus, hoc audito, se quoque hominem fortunæ vicissitudini obnoxium, in animum revocans, non solùm Crœsum jubet è flammis illicò eripere, sed & magno in pretio deinceps habuit, concessis ei, Justino auctore, patrimonii partibus, & Urbe Barce, in quâ, etsi non regiam, proximam tamen regiæ vitam degeret. Xenophon hîc more suo, dissimulato inhumano ac feroci Cyri erga Crœsum animo, illum introducit summâ humanitate primo statim intuitu victum excipientem. Quam enim absonum atque indecens fuisset, de eo tam crudele narrare facinus, quem ut perfectum exemplar boni Principis atque Herois exhibere constituisti! Tacenda omninò, quæ maculam vel nævum in se habent, vel saltem ita proponenda, ne nævum aliquis facilè agnoscat. Fecit id Encomiastes hic, cùm Cyrum victo Crœso primâ vice sic respondentem exhi-

Lib. 7. Instit. bet: Καὶ σὺ μὲν χαῖρε ὦ Κροῖσε, ἐπείπερ ἄνθρωπος ἐμοὶ ἀνθρώπου. Cujus simile effatum ferè habet Herodotus, sed dictum, posteaquam prius

priùs ab inflammato Rege Crœſus ad necem deſtinatus,& ſopito furore ab eodem ad ſaniorem mentem reduce, à ſupplicio liberatus eſſet.

X. Victoriâ hâc, ut Cyri potentia haud parùm crevit, ita mox fama de ea undique ſparſa, nec paucæ gentes ſuis rebus malè ominari cœpêre. Jones atque Æoli fruſtra antè ad ſocietatem belli invitati, auditâ Lydorum clade, nunc ultrò legatos ad Cyrum mittunt, deditionem polliciti, modò iisdem cum Lydis conditionibus recipiantur. At ille jam ferocior, victoriâque elatus, non jam amplius tempus eſſe, egregio apologo de piſcibus oſtendit: exprobrat, dum ex voto atque animi ſententia res illis ſucceſſerit, omnes ſuis petitionibus ſurdas præbuiſſe aures, tamque amicè oblatam amicitiam inſolenter reſpuiſſe: ceſſent jam nequicquam id efflagitare, quod illis denegare animo ſibi ſedeat. Movet igitur in illos, ſolis exceptis Mileſiis, quibuscum eodem modo, quo cum Lydis, pactus eſt: nec audit Lacedæmonios pro Græcia apud eum intercedentes, minantibusque, nunquam permiſſuros, ut ulli Græciæ civitati vis inferatur, reſpondet: Sint modò quieti de Græciæ ſalute, ſe operam daturum, ut illis non Jonum ſed propria incommoda ſint deploranda; miſſoque Harpago (ipſe enim majoribus intentus illuc proficiſci detrectabat) promiſſum exſolvit. Is enim ſimul atque in Joniam venit, ductis circa mœnia aggeribus, Urbes expugnavit, ipsâque Phocæâ primâ Jonum civitate, ab incolis deſertâ, potitus eſt, ſubjectis præterea & Tejis, & Caribus, & Cretenſibus & Cnidiis,&c. universâque continente.

XI. Paulò antequam Harpagus cum Jonibus pugnaſſet, Lydi, Cyro Sardibus abſente, Ecbatanamque contendente, impulſore Paſtyâ quodam, cui theſauros crediderat Cyrus, ab eo deſciſcunt, Tabalumque Sardium Præfectum à Cyro conſtitutum, conducto exercitu, in arce incluſum obſident. Quod cùm Cyrus in itinere reſciviſſet, communicato priùs cum Crœſo, quem ſemper ſecum habebat, conſilio, Mazarem Medum cum parte exercitus illuc miſit, qui ſuaſu Crœſi victis rebellibus arma & equos ademit, juſſitque cauponias & ludicras artes (unde fortè ipſum nomen Ludorum ortum eſt;) & lenocinia exercere: ut ſic in poſterum ab effœminata ac mollitie luxuriâque fractâ gente nihil amplius metuendum eſſet.

XII. His aliisque compluribus populis ſubjugatis, majus opus Cyrus, quod diu jam mente agitabat, quoque omnes victorias ſuas direxit, moliri, ipſumque Babylonicum Imperium captâ Babylone, evertere conſtituit, novam ipſe erecturus Monarchiam Perſarum illam. Hiſtoriam hujus belli tot nominibus celebris, primùm breviter ex Herodoto & Xenophonte collectam tradere, tùm quaſdam difficultates ſive ex Hiſtoria Sacra ſeu aliunde ortas, indicare &, quantum in me eſt, removere, animus eſt : Hoc enim ordine commodè videtur exponi poſſe illa tot perplexitatibus involuta Hiſtoria.

Cyrus latè jam victor, nihil actum ratus, niſi & Babylonicum Imperium florentiſſimum olim ac potentiſſimum in ſuam poteſtatem redegiſſet, infert bellum Aſſyriis, apud quos tunc rerum potiebatur Labynitus, ut Herodotus eum vocat: caputque Imperii Babylonem aggreditur, illuc transportato exercitu ; quod non ſine maxima difficultate factum, Gynde nimirum amne tandem (ſiquidem tranſitum exercitui negabat) in multos alveos diducto ac permeabili reddito. Propius ergò exercitum, omnibus ſubſidiis inſtructum, Urbi admoventi Cyro occurrunt Babylonii, cum numeroſa manu collectâ, dum Cyrus Gynde fluvio occupabatur : ſed pugnâ commiſsâ profligati, in Urbem ſe recipiunt. Urbs hæc fuit immenſi operis, quadrata, in campo ſita, Euphrate interfluo : tantæ magnitudinis, ut captâ pòſt extremâ ejus parte, incolæ, qui mediam inhabitabant, id non animadverterint: murus latere cocto extructus, bitumine arenæ vice interſtrato, quinquaginta cubitos altus, intellige τὰ μετρικὰ; tam latus, ut quadrigæ inter ſe concurrentes tutò commeare poſſent, in circuitu habens 385. ſtadia : ſic Strabo : vel, ut Herodotus & Solinus, altus ducentos, latus quinquaginta pedes regios : murum foſſa lata aquis repleta ambiebat : intùs turres 250. validiſſimæ : portæ æreæ centum : quæque alia erant, quæ Urbem iſtam tantùm non invincibilem præſtabant : unde Oroſius : *Illam vel humano opere extrui potuiſſe, vel humanâ virtute deſtrui poſſe, utrumque penè incredibile apud mortales erat.*

XIII. Ita comparatam Urbem non parùm negotii Perſis dediſſe, quid mirum? Cyrus ſanè ejus magnitudine, murorumque

que firmitate atque excelsitate consideratâ, vi illam expugnari posse, omninò desperat, arbitraturque fame, intercepto commeatu, ad deditionem cogendam. Verùm & hoc incassum. Babylonii enim inimicum Cyri animum diu prævidentes, tantum commeatûs comportârant, quantum in viginti annos sufficisset. Ergò consilii inops, audax incipit facinus. Propè Urbem, quâ parte Euphrates illam subit, multas latissimas prosundissimasque ducit fossas, in quas, apertis ostiis, aquam Euphratis ex alveo pristino derivat : Idem factum circa lacum illum immensi operis à Nitocri Regina olim fabricatum, in quem similiter partem Fluvii deduxit. Euphratis ibi latitudo duo superat stadia, profunditas verò tanta, ut duorum Virorum sibi *invicem* impositorum mensuram excedat : ex quo de immenso labore in fossis ducendis judicium fieri potest : adeò nec ingentes sumtus, nec incredibiles molestiæ in illo opere exantlandæ, nec densissimum periculum (quid enim, si gnari Babylonii ingredientes Persas velut in cavea inclusissent?) animum Regis ab obsidione absterrebant. Sed juvit cœptum Festum à Babyloniis actum. Hi enim totum diem noctemque choreis & comessationibus intenti, vinoque madidi de nulla re minus quàm de hoste repellendo solliciti, facilem introitum Persis dedêre. Tentato itaque vado, Persæ per alveum fluminis permeabilem redditum, Babylonem ingrediuntur, obseratis, quæ moram asferebant, portis septisve, incolasque somno vinoque sepultos, armatâ manu invadunt, ingenti editâ strage. Ipse etiam Rex districto cum acinace inventus, à militibus Gadatæ Gobriæque (Principes erant Babylonii ob injuriam à Rege allatam ei infensi) interemtus occumbit. Hæc ferè ex Herodoto & Xenophonte, quibus hâc in re non omninò malè inter se convenit. Notetur tamen Xenophontem Cyro hîc semper socium adjungere Cyaxarem Astyagis Filium, Cyri avunculum.

XIV. Narratio isthæc cum S. Historia jam collata in multis consentire, in aliis dissentire deprehenditur. Consensus est, v.g. 1. in descriptione magnitudinis atq; firmitatis Babylonis. Vocatur Dan. 4. 30. *Urbs magna, οὗ ἰσχύν.* Esaj. 13. 19. *Decus Regnorum, gloria superbiæ Chaldæorum.* Ipsa de se gloriatur Esaj. 47. 7. *In sempiternum ero Domina,* & vers. 8.

Ego ſum & non eſt præter me ampliùs: non ſedebo vidua & ignorabo ſterilitatem. 2. In excidio hujus Urbis, quod nominatim à Perſis futurum prædixerunt Prophetæ, & quidem abductâ parte Euphratis in lacus, ducentis & decem annis, juxta Joſephum, ante eventum. Vide ſis Jeſ. 47. & Jer. 50. it. Jer. 51. verſ. 32. Quò referenda prodigioſæ manus Scriptura Dan. 5. *Mene, tekel, upharſin:* Upharſin, i. e. Daniele interprete, *diviſum eſt Regnum tuum & traditum Medis & Perſis.* 3. In convivio à Rege Babylonio habito. Dan. 5. *Beltaſar Rex faciurus convivium magnum proceribus ſuis mille, coram mille his vinum bibiturus erat,* &c. 4. In cæde Regis noctu factâ, translationeque Imperii Babylonici. Dan. 5. & 6. *Eadem nocte interfectus eſt Baltaſar Rex Chaldæorum, Darius autem Medus accepit Regnum.* Hæc, inquam, aliaq; haud malè conveniunt.

XV. At ſunt non pauca alia, in quibus hiſtoria ſacra cum prophanâ planè videtur pugnare, quæque difficultate ſuâ & doctiſſimis multum negotii faceſſunt. Quis ille in ſacris memoratus Baltaſar, num Herodoti Labynetus, Beroſi & Megaſthenis Laboroſoardachus aut Nabonidus, num alius? Quis ille Darius Medus, qui extincto Baltaſari ſucceſſit, num Aſtyages, num Cyaxares, num ille Nabonidus? Quare Scriptores prophani unius ferè Cyri Authoris hîc mentionem faciunt, Daniel autem totum opus Dario Medo aſcribit, à Cyro diſtinctiſſimo? Sudant, inquam, hîc doctiſſimi Viri & præter conjecturas nihil ferè afferunt. Et quidni? In tanta Vetuſtatis caligine, Hiſtoriarum defectu, Scriptorum pugnâ, quis certum & exploratum quid ſe habere, affirmaverit? Tanto magis mihi, tenebris his pro virili lucem inferre conanti, veniam apud æquos rerum Judices paratam judico.

XVI. Ante omnia, quò res plenius & dilucidius noſcatur, neceſſarium autumo, Regum tùm Aſſyriorum, tùm Medorum, quia in illis vertitur difficultas, proſapiam & ſucceſſionem paulò altius repetere, initio Regum Aſſyriorum ſumto inde à Nebucadnetſare, vel Nabopollaſare. Hic filium ſucceſſoremque habuit potentiſſimum & bellicoſiſſimum Regem cognominem Nebucad-

Nebucadnetſarem, qui, ſubactâ Judæâ, Phœnice, Ægypto, &c. Babyloneque magnificè reſtauratâ, in phreneſin Danieli memoratam, delapſus eſt. Succeſſit Evilmerodach ſeu Ilvarodamus, biennio vel, ut alii, triennio regno adminiſtrato, ab affini Neriglisſoroare inſidiis ſublatus. Neriglisſoroarus poſt 4. annorum Imperium & ipſe vivere deſiit, relicto Laboroſſarcado Filio, adhuc puero, quem interjectis novem menſibus excepit Nabonidus ultimus Regum Aſſyriorum. Hoc modo ſucceſſionem exhibet Beroſus Scriptor Chaldaicus Joſepho citatus 1. contra App. p. 926. & Megaſthenes, cujus verba ex Abydeno, extant apud Euſebium Præp. Ev. Lib. 9. ſub finem; itemque Canon Ptolomæi. Medorum verò Reges à Dejore hi fuêre. Phraortes bellicæ fortitudinis gloriâ & ſubjugatâ Perſiâ clarus. Cyaxares Phraortis filius, qui varia bella cum Scythis & Lydis geſſit. Aſtyages prioris filius à Cyro nepote poſt 35. annorum regnum imperio exutus: hujus Filium & ſucceſſorem Xenophon facit Cyaxarem alterum, ignoratum quidem Herodoto & Cteſiæ; quo defuncto demum imperium ſuſceperit Cyrus. His ita ad clariorem rei cognitionem præmiſſis, quæritur, quis ille Danieli memoratus Belſchatſar Rex Babyloniorum, quis Darius Medus, Medis imperans?

XVII. Plerique in eo conveniunt, quærendos hos Reges inter illos modò recenſitos, nec obſtare nominum diverſitatem, cùm conſtet, Regibus atque etiam aliis præcipuè apud Orientales, plura fuiſſe tributa nomina, quâcunque demùm occaſione id factum; ſic Nabonaſſarum vocatum Baladan, Danielem, Baltaſarem, &c. Miſſis pluribus Doctorum ſententiis, duæ præ cæteris ſunt, quæ ut majorem probabilitatis ſpeciem, ita aſſeclarum numerum habent. Una eſt ſummi Viri Joſephi Scaligeri in Lib. 6. de Emendatione Temp. propoſita atque animosè ab eo defenſa, quæ breviter hùc redit. Belſchatſarem fuiſſe Laboroſſardachum nepotem nimirum Nabuchodonoſori ex Filia Nitocride; Puerum vocatum à Beroſo, qui propriè fuerit adoleſcens; teſtem eſſe juvenilem ac penè puerilem illam petulantiam, quâ uſus ſit in vaſis templi prophanatis; quod ſi adeò puer fuerit, quare ob [illegible] interfectus? Nec obſtare, quod novem tantùm menſes dicitur imperaſſe: hoc ita accipiendum, ſolùm



ſolùm poſt mortem Patris tamdiu regnâſſe, Patrem verò nomine Filii imperium adminiſtrâſſe, donec filius ad pubertatem veniſſet : tandem interfectum, vel ut Beroſus, ἀνταμπαναιδῆναι: quæ omnia luce clarius monſtrent, Baltaſarem fuiſſe Laboroſoarchadum. De Dario verò Medo ſic ſentit ; Fuiſſe illum eundem cum Nabonido, qui conſenſu procerum Babyloniæ delectus ſit in Regem, & annos 17. regnaverit, donec eum Cyrus Regno exutum, Carmaniæ finibus relegaſſet: id quod egregiè conveniat cum illo Danielis Cap. 6. ודריוש מדיא קבל מלכותא *Darius Medus* ἀνεδέξατο τὴν ἀρχὴν, i. e. illo interprete, populo tradente regnum ſuſcepit, non verò vi invaſit. item Dan. 9. ubi dicitur de Dario M. quod המלך βασιλεὺς ἀνεδέχθη ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς Χαλδαίων. Utrumque ultimum Regum Babyloniorum ante Regnum Perſarum, tàm Darium apud Danielem, quàm Nabonidum apud Megaſthenem & Beroſum fuiſſe ; nam utrique ſucceſſiſſe Cyrum ; præterea convenire tempora ; tandem conatur probare, eum, in quem cum exercitu venit Cyrus, cognominatum fuiſſe Medem aut Medum, adducto oraculo quodam, à Nebucadnetſare edito ex Megaſthene, quod vel pertinaciſſimo perſuadere idoneum ſit, Darium M. eſſe Nabonidum. Hæc hisque paria in Animadverſionibus Euſebianis, Vir Maximus magnâ cum fiducia & πολυφωνίᾳ, ægrè obloquentes ferens. Cui ſecundas faciunt Petavius, Grotius, aliiq;, principes in his literis Viri.

XVIII. Non deſunt tamen & ante & poſt Scaligerum, qui aliud ſentire haud piaculum duxêre, ſatiùs rati paulò aliter iſthæc digerere. Juxta hos Belſchatſar Danielis, hic ipſe Nabonedus : Darius verò Medus, Cyaxares 2. Filius Aſtyagis vel alius ſaltem Rex Medus, eſt. Quæ ſententia à Joſepho ex parte jam defenſa, ut communior ita ſolidioribus nixa rationibus videtur. Inſtituamus brevem paralleliſmum. De Baltaſare res haud admodùm difficilis eſt. 1. Nabonidus ultimus erat Regum Aſſyriorum, à Cyro Perſa imperio privatus ; Sic Baltaſar ultimus, diviſo regno. Dan. 5. 28. *Diviſum eſt* (ſic Daniel ad Baltaſarem,) *regnum tuum, traditumq; Medis & Perſis.* 2. Baltaſar haud paucis regnavit annis, prout ex negotiis Danielis patet, Dan. 8. 1. & 5. 11, 12. Nabonidus verò teſte Beroſo, 17. annis,

Digitized by Google

17. annis, quibus impletis regno amotus est. 3. Labynitus ille Herodoti, Filius senioris, adversùs quem Assyriæ Imperium habentem, Cyrus exercitum duxit, non alius esse potest, quàm Baltasar, consentiente historiâ. Jam verò Labynitus & Nabonidus idem nomen est, permutatis tantùm ל & נ; quod Orientalibus, inprimis Chaldæis frequens esse, tyrones linguarum norunt, ipseque Scaliger ex parte in nominibus Regum Babyloniorum, docuit; sic לשכר idem quod נשכר, להוא idem quod נהוא quidni לבונ־נית idem cum נבונ־נית? Ex his aliisque satis probabiliter colligitur Baltasarem fuisse Nabonidum.

XIX. Darium verò Medum eundem cum Cyaxare Astyagis Filio esse, hoc modo probari potest. 1. Ex ipso nomine. Medus enim jure vocari potest, qui Patre Medo, Medorumque Rege natus est, imò qui ipse Rex Medorum eo tempore factus est, quod in neminem præter Cyaxarem convenit. Xenoph. Lib. 1 Instit. Πρωτ@- ȝ δ' χρόνῳ, ὁ μὲν Ἀστυάγης ὁ τῆς Μήδης ἀπεστέπτ ὁ ȝ Κυαξάρης ὁ δ' Ἀστυάγους παῖς, τῆς δὲ Κύρῳ Μανδάνης ἀδελφὸς τῷ δρχὸν ἔλαβε τῶν Μήδων. Sic Scriptura S. de Dario M. Dan. 5. *traditum regnum Medis & Persis:* quemadmodum itaque Persæ denotant Regem Persarum, ita Medi Regem Medorum. Conf. Dan. 8. vers. 20. Inprimis clarè Josephus: Ὅς (Darius) ἦν Ἀστυάγη υἱὸς, ὑπ- ρων ȝ παρὰ τοῖς ἔθνεσι ἐπαλήθη ὄνομα. 2. Darius Medus, interfecto Baltasare, Chaldæis imperavit Dan. 6. 1. & 9. 1. & quidem קבל *accepit imperium:* item המלך *rex factus est:* Quod haud malè convenit in Cyaxarem, quem, Xenophonte authore, Cyrus Rex Babyloniæ præfecit, usque dum ipse imperii habenas susciperet. Ὁ Κύρ@- ἅπτ τῷ Κυαξάρῃ, ὅτ οἰκ@- αὐτῷ ἐξαπιδί@- ἦν ὁ Βα- Lib. 6. Inst. βυλῶνι κ δρχῆα ὅσους ἴχοι, ἐ ὅτ ἐκεῖσε ἔλθοι, ὡς τὰ οἰκεῖα καθίσαιτ. Ex quibus verbis etiam liquet, Cyaxarem & Cyrum simul regnasse, per aliquod tempus saltem, quod idem innui videtur de Dario & Cyro. Dan. 6. 29. col. cum 5. 28. 4. Cyaxares auctor fuit juxta Xenophontem belli in Assyrios, Cyrumque exercitui suo præfecit: hæc videtur fuisse causa, ob quam Daniel Darii solius mentionem facit, omisso Cyro Dan. 6. Cui accessit porrò ætas provectior, authoritasque Cyaxaris in Cyrum, nepotem ex sorore. Unde apud Xenoph. ita ad Cyrum loquens introducitur: Ἐπειδὴ παρὰ τοσοῦτον κ πρεσβυτέρός ἐμοῦ Κύρου, ἀνάγκ μοι ἄρχειν λέγειν Hæc Lib. 1. Inst.

aliaque

aliaque haud, ut opinor, plane absonè pro hac sententia proferri possunt.

XX. Levia sanè sunt, quæ Scaliger partim contra illam, magna cum acerbitate, objicit, aut potius dictat, partim pro sua fulcienda profert. Berosi atque Megasthenis authoritatem tàm crebrò opponere, contraque Josephi, ei aliàs tantopere celebrati, tàm vilipendere Virum magnum nimis quàm mirum est. Præterquam enim, quod Authorum istorum Libri ad nos non pervenerint, illorumq; fragmenta apud Josephum & Eusebium extantia vix possint esse integra, quî factum, ut Josephus, qui horum libros consulere deque totâ re ex optimis monumentis certior fieri potuit, hîc in diversum abierit, tamque districtè Baltasarem Nabonidum, vel, ut ille scribit, Naboandilum, Dariumque Astyagis filium dixerit? Et quid quæsò horum authoritas valet, Scriptura S. satis dilucidè contrarium edisserente? Nonne illa affirmat, Baltasare peremto, Regnum traditum esse Medis & Persis, Dariumque Medorum Regem fuisse, quod nullo modo in Nabonidum quadrat Regem Babyloniorum, πρὸ τῶν ὁπὸ Βαβυλῶνος, quicquid dicat Scaliger? Quin & ipsa illa Megasthenis vel potius Nebucadnetsaris vaticinantis verba, si benè attendantur, tantum abest, ut ei faveant, ut potius alteri sententiæ magis consentanea sint. Ita sonat Vaticinium Regis apud Eusebium: Prep. Ev. Lib. 9. Οὐ δὴ σωσίπολος ἔσται Μήδης τὸ Κυάξαρος ἄγχιστος, ὃς ὅπλα μὲν αὐτῷ ἢ δόξαν τοῖς πολίταις, χάριν δὲ ἴσως ἢ βλάστοιτο ἀποδεξαμένῳ ἀπόνοιαν αὐξήσειεν, ἢ μὴ ἄκλητος ὧδε γραφείσα φέροιτ' ἂν ἐς τὸν ἐμόν, ἵνα ὅτι ἄστια ὅτε πάτος ἀνθρώπων ---- ἐμεῖσι πρὸ ἐς νέον βασιλῆα τοῦτο, τίλος ἀμείνονος κυρῆσαι. Hæc in Nabonidum dicta, tam evidenter suam sententiam confirmare ait Scaliger, ut jam non amplius pertinaciæ locus sit. Sed quid, si hæc omnia melius in ipsum Cyaxarem quadrent, nonne tunc vel ipso Judice, nemo non contrariam ejus opinionem amplecti cogitur? Et sanè describitur hic Μήδης, *Medus, Cyri adjutor*, in subjugandis Assyriis: (quis enim πίστις ille ἐμοὶ præter Cyrum Medo Persam alius?) Nabonidus autem neque Medus, multo minus Cyri in destructione Regni Babylonici socius fuit: fuit autem Cyaxares: vocatur Κυάξαρος ἄγχιστος; *de quo Assyria glorietur:* ipse nimirum devicto ultimo Rege, Medus licèt, Assyriis imperitavit, illorumque Dominus (αὐχμὸς) factus

factus est. En ergò ipsum Scaligerum propriis telis confossum, & pertinaciæ, toties aliis objectæ, convictum!

XXI. Quæ addit Illustris Vir ex Dan. 6. & 9. ubi dicitur, Darium Regem constitutum esse, à populo nimirum electum, non vi Regnum invasisse; quod asserendum, si alius præter Nabonidum intelligendus; talia sunt, quæ Illum Scripturam S. mente hypothesi suâ jam præoccupatâ, legisse arguunt. Quid enim? nonne is regnum accepit, qui expugnatâ Babylone, victisque hostibus, imperii curam in se suscepit? Nonne Rex constitutus est, cui ad tempus regni administrationem Cyrus permisit, ut ex Xenophonte antè probatum? Ut taceam vim verborum Chaldaicorum nihil minus quàm id quod vult Scaliger evidenter inferre. Hæc ferè sunt, quibus ὁ πάνυ vulgarem opinionem subvertere, suam verò astruere conatus est; quibus quidem plura potuissent adjici, nisi lectorum nauseæ ex tam prolixâ controversiæ difficilis tractatione fortè jam obortæ, occurrendum fuisset.

XXII. Cyrus, captâ Babylone capite imperii, confectoque bello, per Medorum regionem in Persidem ad Parentes, si Xenophonti fides, vivos adhucdum rediit, & anno circiter exacto, ingenti collecto exercitu eam suscepit expeditionem, quâ nationes universas, quæ à Syria ad mare rubrum sedes habent, perdomuit. Paid. Xenoph. lib. 8. Cambyse Patre, ac Cyaxare socero circa idem ferè tempus, vel saltem haud multo pòst, vitâ functis, Cyrus totius Orientis Dominus factus, novam orditur Monarchiam Persarum illam, à quâ tanquam certâ Epochâ anni ejus numerari solent. Anno circiter Period. Jul. 4178. Mundi 3468. ante Christ. 536.

XXIII. Scriptores etiam sacri ab hac æra annos putant edicti Cyri, de reducendis Judæis è Babylonia, quò fuerant transportati, in tellurem patriam. Hoc enim anno Cyrus, lectis, si vera Josephi narratio, Prophetarum Oraculis, Judæis hactenus in captivitate detentis, libertatem dedit in patriam revertendi, Urbemque ac Templum restaurandi, collatis splendidissimis ad Templi ædificationem sumtibus, restitutisque pretiosis vasis, à Nebucadnetsare olim abductis. *Omnia Regna terræ*, sic sonat regium edictum, *dedit mihi Dominus cæli, & ipse præcepit mihi,*

mihi, ut ædificarem ei domum in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa. Quis eſt in vobis de univerſo populo ejus? Sit Deus illius cum ipſo, aſcendat, &c. Eſdr. 1. 1, 2, 3. Nimirum terminus à Deo captivo populo ſuo præfixus advenerat, ſeptuaginta ſeptimanæ à Prophetis prædictæ, Jer. 25. 11. it. 29. 10. effluxerant: populus non poterat amplius captivus teneri; quod Daniel etiam ex libris, inſtante tempore, collegit. Dan. 9. Ubi caput horum 70. annorum ſit figendum, mirus Chronologorum diſſenſus eſt. Haud peſſimè conjectant putantque, qui cum Petavio, Uſſerio aliisque exordium horum annorum conjiciunt in quartum annum Jojakimi, qui fuit primus Nebucadnetſaris Magni à Parente in ſocietatem regni aſciti, quoque Hieroſolyma ab eo primùm obſeſſa, Jer. 25. 1. Inde enim ducto initio, talis exurgit calculus ex Canone Ptolemaico: ab anno 1. Nebucadnetſaris ad ejus mortem fluxerunt anni - - 43
hinc anni Evilmerodachi - - - - - 2
hinc anni Nerigliſſoari, adjunctis aliquot menſibus Laboraſſarcadi - - 5
hinc anni Nabonidi - - - - - - - 17
hinc ad captam Babylonem aut potiùs obitum Darii M. - - - - - 2 vel 3. fiunt
anni 69, vel 70.

XXIV. Sequitur cataſtrophe vitæ magni hujus Regis, quam varii variè, Herodotus & Juſtinus ad hunc fermè modum referunt. Cyrus, ſeu tantis elatus victoriis, ulterius dilatare imperii fines, ſeu majorum indignam ſervitutem à Scythis paſſam ulciſci, cupidus, bellum inferre ſtatuit Maſſagetis, genti Scythicæ pugnaciſſimæ, quibus tunc Regina præerat Tomyris. Cræſus primò diſſuadere bellum, mox videns, nihil apud pertinacem valere dehortationes, monſtrare modum, quo bellum iſtud gerendum ſit, nimirum transferendo illud in Regionem hoſtium. Obſecutus conſilio Cyrus, in Scythas cum copiis, trajecto flumine Araxi, proficiſcitur, regni adminiſtratione interea filio relictâ. Progreſſus aliquantùm in regionem, caſtra metatur. Quibus mox deſertis, relictisque menſis omni epularum ac potûs genere inſtructis, quaſi refugiens ad Araxin revertitur. Quo cognito, mittit

Digitized by Google

mittit Tomyris protinus filium Spargiſem cum tertia copiarum parte ad perſequendos hoſtes. Verùm adoleſcens ignarus rei militaris, exiguâ editâ ſtrage, inſuetos barbaros vino obrui ſinit. Supervenientes Perſæ vino ſomnoque ſepultos partim trucidant, partim vivos capiunt, & in his Tomyridis filium, qui poſtea ſibi ipſi manus intulit. Tomyris, proſtrato exercitu, amiſſoq; filio, irâ pariter ac dolore accenſa, pari inſidiarum fraude hoſtem circumvenire ſtatuit. Quem in finem, ſimulato metu, cum exercitu tamdiu retrocedit, donec Perſas ad ignotas Viarum anguſtias perduxiſſet. Ibi, acerrimo commiſſo prœlio, Perſæ ſuperantur, ad unum omnes ferè trucidati, interque hos ipſe Cyrus, cujus diu quæſiti tandemque inventi caput Tomyris in utrem ſanguine repletum conjici jubet, his verbis mortuo inſultans : Σὺ μὲν Herod. Lib. 1.
ἐμὲ ζώσης τε καὶ νικήσας ἐς μάχην, διὰπλεύσας παῖδα τὸν ἐμὸν, ἐλὼν δόλῳ· σὲ δ' ἐγὼ τοιάδε ἐκπίλησα, αἵματος κόρον. Hæc Herodotus, Juſtinus & Valerius : Conſentit hactenus Diodorus, ut tamen ſcribat Reginam Cyrum αἰχμάλωτον μετὰ μάχην ἀναιρεθῆναι Lib. 2. Biblioth.

XXV. Cteſias autem rem longè aliter refert, nimirum ita : Expeditionem ſuſcepiſſe, ait, Illum in Derbicas, quibus imperaverit Amoræus : profligato Cyri equitatu, ipſum Regem ab Indo quodam in femore vulnus lethale accepiſſe; unde ex prælio in caſtra reductus, brevi tempore interjecto obierit, cùm priùs multa de Imperio ſucceſſioneque Filiis præcepiſſet. Amorgen, auditâ Cyri clade, citò cum ingenti manu Sacarum advolaſſe, cæſisque triginta Derbicum millibus, ſuperiorem fuiſſe, regionemque in poteſtatem Perſarum redegiſſe. Alii aliter. Omnium maximè in diverſa abit Xenophon, qui & pugnam hanc in Maſſagetas vel etiam Derbicas, & cædem Regis ignorat, placidâque morte in lecto apud ſuos defunctum Lib. 8. prolixè perhibet. Poſteaquam enim ſeptimâ jam vice, ex quo imperium adeptus erat, in Perſidem veniſſet, Parentibus vitâ functis, in ſomnio vidit quempiam ad iter ad Deos ſeſe accingere hortantem. Nihil cunctatus Cyrus, mandato morem gerit, Jovique & reliquis Diis immolatis hoſtiis pro tot acceptis beneficiis gratias refert, proq; Uxore, liberis, amicis ſuperſtitibus intercedit. Inde converſus ad Filios Cambyſem & Tanyoxarem, regnum inter illos divi-dit, aſſignatâ Monarchiâ Cambyſi, alteri autem Satrapiâ Medo-

rum & Caduſianorum conceſsâ : dein graviſſimâ oratione (cujus bonam partem Cicero in Catonem Majorem tranſtulit ;) illos alloquitur, multa diſſerens de immortalitate animæ, de præmiis bonorum pœnisque malorum, adhortatusque ad timorem Deorum hominumque reverentiam , ad concordiam amoremque fraternum,in hæc tandem verba deſinit : Καὶ τοῦτο μεμνημένοι μὴ πολεμεῖτε, τοὺς φίλους διαφθείροντες καὶ τοὺς ἐχθροὺς δυνατοὺς κολάζειν. Καὶ χαίρετε, ὦ φίλοι παῖδες, καὶ τῇ Μητρὶ ἀσπαζόμενοι ὡς τάχιστα ἡμῶν καὶ πάντες ὅσοι παρέσεσθε καὶ οἱ ἀπόντες φίλοι χαίρετε. His dictis , porrectâque dextrâ , placidè deceſſit.

XXVI. Quantus denuò diſſenſus! Diceres, non minorem pugnam eſſe inter hos Hiſtoricos, quam fuit olim inter Cyrum & Scythas. Quid hîc agendum? quinam Auctores ſequendi? Plerique & antiquorum & recentiorum, relicto Xenophonte, Herodoti veſtigiis inſiſtunt, eâ, ut opinor, moti ratione, quod priorem illum *non ad Hiſtoriæ fidem, ſed ad effigiem juſti Imperii* (ut Cicero de eo loquitur) Cyri geſta deſcripſiſſe putent. Hanc quidem rationem in compluribns licèt probem, nolimque integram illam Xenophontæam narrationem & valedictoriam orationem (quæ potiùs Philoſophum ſapit) præſtare, re tamen maturiùs expensâ , vix Herodoto atque ſequacibus per omnia fidem adhibere queo,propter ſequentes rationes. 1. Quia tempore Herodoti nihil certi de morte Cyri perhibebatur, rumoribus compluribus de ea ſparſis : unde ipſe Herodotus narrationem ſuam non ut certam , ſed tantùm ut veriſimilem lectori proponit. Diſerta hanc in rem ejus extant verba ſub finem Lib.I. Τὰ μὲν δὴ κατ' τὸν Κύρου τελευτὴν τοῦ βίου, πολλῶν λόγων λεγομένων, ὡδέ μοι ἐπιτετεύχθω εἰρήσθω. Ubi ergò primus Auctor rei certus non eſt, qui tamen tam propè illis temporibus vixit, quanto minùs nos ad ejus recenſionem amplectendam obſtringimur ? 2. Hiſtoria ipſa planè à veriſimilitudine remota eſt, collata cum primis cum primordiis Regni Cambyſis Fil. Hic enim adeptus Imperium, expeditionem mox contra Pſammetichum Ægypti Regem ſuſcipit , exercitumque ducit in remotiſſimam hanc regionem. Unde verò extemplò tantum exercitum excivit Cambyſes, quo tota Ægyptus potuit debellari , proſtratis antea tot lectiſſimorum militum millibus, debilitatisq; totius regni viribus? Quare

non

non potius, talem ſi adhuc habuit manum, converſo in Scythas imperu, Parentis cædem ultus, dedecusque à Scythis Perſarum genti illatum, ſubjugatâ feroci natione, repulit? Quin fueritne Cambyſes adeò ſtolidus, ut relictâ, imò præſidiis militaribus nudatâ Mediâ, in Ægyptum movere, propriumque regnum Scythis, populo vicino, rapaciſſimo, vindictâque adhuc ardenti, victoriâ ſaltem animos ſumenti, in prædam atque rapinam exponere, ei lubuerit? Hæc ſanè difficilioris ſtomachi homines vix concoquere poterunt: imprimis ſi his addas immenſum auctorum circa tragicum hunc exitum diſcrimen. Lubentiùs ergò Xenophonti aſſentior, Cyrum ſenem placidè medios inter ſuos vitam cum morte mutaſſe, referenti.

XXVII. Quid ergò occaſionem dedit huic ab Herodoto narratæ fabellæ? Num in cerebro Hiſtorici tota, quanta eſt, nata? Id quidem nunquam dixerim, etiamſi originem ne hariolari quidem poſſem, ipſe cùm Herodotus narret, plurimos de ea morte ſparſos eſſe ſermones. Fallor, an Cteſias nobis originem pandit? Refert ille, Cyrum ante ſubactam Lydiam bellum cum Sacis geſſiſſe, & Amorgen Sacarum Regem cepiſſe: Sparethram verò Reginam marito capto cum exercitu 300. millium Virorum, mulierum verò ducentarum, Cyro occurriſſe, eumque vivum cepiſſe. Hæc, ut opinor, haud ita malè conveniunt cum pugna illa adversùs Maſſagetas, aut, ut idem Cteſias, in Derbicas. Cyrus fertur pugnâſſe adversùs Sacas populum Scythiæ, quales ſimiliter & Maſſagetæ: narratur cepiſſe Sacarum Regem: ſed & idem Spargabiſem cepit Regem futurum: additur, Reginam denuò Cyrum aggreſſam, ingenti exercitu eum profligaſſe, Regemque cepiſſe: ſic & Tomyris Regina Cyrum ingenti prælio ſuperavit ac trucidavit. Quàm facile rumor aliquis ἀδιακρίτως & fallax, accedente præſertim genio hiſtorici, qualis Herodotus, nobis illam Hiſtoriam excudere potuiſſet! in primis ſi verum, quod Strabo perhibet, Cyrum eodem ſtratagemate Sacas circumveniſſe, quo Tomyridis filium viciſſe refert Herodotus. Verùm ſat conjecturis, in quibus labi quàm proclive! datum. Μάλα ἄφθονον, ὅσα ἀνθρώποις πλάσαι. L. 11. Geogr.

XXVIII. Obiit Rex Maximus ſeptuagenarius circiter, anno Per. Jul. 4185. M. 3475. ante natum Chr. 529. Monarchiæ

septimo completo, Regni verò Medici & Persici trigesimo; Sepultus apud Pasargadas in Persia, quo loco Astyagem ultimo
Strab Geogr. Lib. 15. prælio superavit, uti narrant Strabo, Curtius, Arrianus, &c. qui & hanc inscriptionem monumento sepulchrali impositam referunt: Ὦ ἄνθρωπε, ἐγὼ Κῦρός εἰμι, ὁ τὴν ἀρχὴν τῶν Περσῶν κτησάμενος, καὶ τῆς Ἀσίας βασιλεύσας. Μὴ οὖν φθονήσῃς μοι τοῦ μνήματος. Hoc si verum, novo argumento conficitur, fabulosam esse Herodoti de morte Cyri narrationem.

XXIX. Fuit hic unus ex maximis Orbis Monarchis, quos Sol aspexit, qui fines Imperii mirum in modum dilatavit.
Lib. 8. Inst. Ejus enim *Regnum*, ut Xenophon ait, *incluſum fuit ad Solem Orientem, mari rubro, ad Septentrionem, Ponto Euxino, ad occaſum Cypro & Aegypto, ad Meridiem, Aethiopiâ.* In introitu Lib. 1. hos populos ei subditos recenset; Medos, Hyrcanos, Syros, Assyrios, Arabes, Cappadoces, Phryges utrosque, Lydos, Cares, Phœnices, Babylonios, Bactrianos, Indos, Cilices, Sacas, Paphlagones, Megadinos, Græcos Asiaticos, Cyprios, Ægyptios, nationesq; alias permultas. Ἀνῆγε πᾶσι ἔθνεσι φῶλα, οὐκ ἐξ ὁμιλίας ἰόντα, ὅπως αὐτὸς δύναιτο πορεύεσθαι. ἐξ ὧν τῶν βασιλέων, ἰόντι μὲν ὁδὸς ἦν, ἰόντι δὲ ὁδὸς ἀσφαλής, ἢν τι δεῖ ὁδὸς ἀρήγειν, ἢν τι δεῖ ὁδὸς μισθοῦσθαι. Nec minori virtute regnum administravit, quàm quæsivit. Eminuerunt enim in hoc Principe multæ heroicæ Virtutes, paternus erga subditos affectus, clementia singularis tùm in omnes tùm præcipuè devictos, justitiæ exactum studium, labor indefessus, humanitas atq; affabilitas, quæque alia ornamenta accesserant: ut mirum non sit, Alexandrum Magnum hunc tantopere admiratum esse,
Lib. 7. c. 6. *quippe in quo*, teste Curtio, *& magnitudinem animi & claritatem rerum longè eminuisse credebat.*

XXX. Præ cæteris singularem deprædicationem mereretur publica ejus ad Unum, Verum Deum Israëlis conversio atque eximia pietas, si de illis satis constaret. Verùm quæ hunc in finem à nonnullis perferuntur, talia non sunt, quæ ad rem conficiendam idonea sunt. Locus enim aliquis Josephi, Theodoreti aut aliûs id non evincit. Præterquam enim quod istorum Auctorum nuda assertio omni ratione aut testimonio antiquiori destituta, argumenti vicem præstare nequeat, nihil aliud dicitur, quàm Cyrum Daniele familiariter usum, aliquam cognitionem veri

Digitized by Google

veri Dei hauſiſſe; quod longè adhuc abeſt à ſincerâ converſione ad *Judaiſmum*. Verùm plus ponderis fortè alii *in ipſis Scripturæ S.* verbis ſibi ad id demonſtrandum deprehendere videbuntur, cùm diſertè Cyrus profiteatur, quòd Deus ſit Dominus cœli, Deus Iſrael, Deus qui Hieroſolymis habitet, 2. Par. 36. 23. Eſr. 1. 1. Sed quid, ſi Cyrus in illo edicto Judæis gratificaturus, ad morem Judaicum verba accommodavit? Quid, ſi ipſi Scriptores ſacri verâ de Deo cognitione imbuti, Cyrum hoc modo, i. e, Judaicè loquentem introducant, quemadmodum id ab iis etiam alibi fit? Sed ſac, verba hæc, ut jacent, de Cyro intelligenda; hoc duntaxat ex illis infertur, Cyro & rei evidentiam & conſcientiæ vim, lectis forſitan, ut Joſephus refert, Prophetarum vaticiniis de 70. captivitatis annis, hanc veritatem extorſiſſe, unum eſſe Deum totius Mundi artificem, illumque à Judæis coli: quod nondum arguit illum Judaicam Religionem amplexum, multò minus in ea permanſiſſe. Hanc eandem veritatis confeſſionem conſcientia expreſſit Nebucadnetſari Dan. 2. 47. Sic Alexander M. Deo Judæorum victimas obtulit, teſte Joſepho: Fecêre idem Ptolomæus Philadelphus, Auguſtus & Tiberius, &c. Quis exinde concludat, illos, abdicato gentiliſmo in veram conceſſiſſe Religionem?

XXXI. Ita ergò nihil hæc argumenta probant. Sed & ſunt, quæ obſtant. Ut enim taceam Perſarum ſuperſtitionem colentium Solem, Lunam, Venerem, Ignem, tellurem, &c. Strabone authore, conſtat ex Xenophonte Cyrum addictiſſimum fuiſſe cultui Deorum, Magosque propterea in magno habuiſſe honore, Vid. init. Lib. 8. Sub ipſum vitæ finem ad mortem ſe præparaturus, Διὶ Πατρὶ καὶ Ἡλίῳ καὶ τοῖς ἄλλοις Θεοῖς, ἐπὶ τὰν ἀρετὰν, ἃς Πέρσαι ἤνεσαν, ἰόντι. additis his precibus: Ζεῦ Πατὲρ καὶ Ἥλιε καὶ πάντες Θεοὶ δέχεσθε τὰν ψυχὰν τὰν ἐμὰν, καὶ πλουτίζετε τοὺς ἐμοὺς ἐκ τῶν ἐμῶν ἀγαθῶν ἐκ χαριζόμενοι. Xen. ſub fin. lib. 8. Hæ, niſi fallor, preces haud ſunt hominis ad verum Deum converſi.

XXXII. Inter peculiaria & eximia, quæ pauciſſimis aliis contigêre, & hoc jure recenſetur, quod ejus ortus geſta, quin imò nomen diſertis verbis diu ante fuerint prædicta. Refert Herodotus, Oraculum à Pythia datum Crœſo Lydorum Regi, ut ſibi caveret, ἐπὴν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται: quem dein ἡμίονον Lib. I.

Pythia



Pythia de Cyro Medo-Persâ interpretata est. Simile de Cyro vaticinium Nebucadnetsaris habet Abydenus apud Eusebium, quod suprà jam tactum est : Sic autem ibi incipit Rex

Præp. Evang. Lib. 9. Μαλιστὰ δὲ· Ἐγὼ Ναβουχοδόνοσορ, ὁ Βαβυλώνιος, τὴν μὲν ἐμὴν ἀρχὴν καὶ σωτηρίαν συμφορὰν, καὶ τὴν ὕστερον Βάλου ἐμοῦ ἀφίξεως, ὅτε βασίλεια Βέλτης λάσπης μοίρας πᾶσαν ἀδύνατον· ἐξέπλησεν ἐμοὶ, τοῖσιν ὑμετέροισι θεοῖσι χρεώμενος συμμάχοισιν· ἐπεκέλευσε γὰρ ἀλλοσύνην, ὃ ἀλ. &c. Verùm hæc aut planè sublesta aut saltem dubia sunt. Longè certiora & clariora vaticinia de Cyro nobis exhibent sacræ Literæ. En ipsa divinitùs inspirati Vatis Esajæ prænuncia verba, trecentis & decem annis antè scripta, quibus Solis radii non potuissent evidentiora pingere: *Edicturus sum* (ait Deus) *Cyro Pastori meo, ut omnem delectationem meam perficiat, utq; edicat Jerusalmis, readificator, & templo, fundator.* Es. 44. 23. *Sic ait Jehova uncto suo Cyro, cujus confirmaturus sum dextram, ad sternendum coram eo gentes, ut lumbos Regum dissolvam, ad aperiendum coram eo valvas, ut porta non occludantur. Ego tibi præiturus sum, & inæqualia æquaturus, valvas chalybeas fracturus & vectes ferreos succisurus, &c.* Es. 45. ℣. 1, 2. &c.

XXXIII. Habuit Cyrus in matrimonio Bardanem Cyaxaris avunculi gnatam: quæ cùm fuissent ἄπαιδος, duxit Cassandanen Pharnaspo genitam, è qua suscepit duos filios Cambysem in regno successorem & Smerdim, fratris scelere sublatum, eundem, ut videtur, quem Xenophon Tanyoxarem appellat: præterea tres filias, Atossam, &c. quarum duæ Fratri Cambysi, tertia Dario Hystaspi nupsit. Fabulosæ sunt Uxores, quas Ctesias, Polyænus, atque alii his addunt, rejectæ ab ipso Herodoto & Xenophonte. Longè imperitissimè alii Atossam Cambysi nuptam, Esterem illam in Scriptura memoratam (quæ alio nomine Hadassa) Ahasveri conjugem fuisse conjectant, solâ vocum affinitate ducti, repugnante & tempore & prosapiâ & quo non?

Tantum de potentissimo ac famigeratissimo Principe! de quo longè plura dici potuissent, si per angustiam temporis, præfixosque disputationibus terminos licuisset, ac omnia veterum loca exscribere animus fuisset. Judicet æquus Lector & condonatis lapsibus, conatus boni consulat.

COROL-

COROLLARIA.

1. *Quatuor sunt genera Causarum, demonstrativum, deliberativum, judiciale & didascalicum.*
2. *Præcipua Orationis dos perspicuitas est: ut illi non videantur intelligere, quid sit benè loqui, qui verbis & phrasibus nonnisi obsoletis, rariis & obscuris, aut crebris hemistichiis Græcis, Latinis, Hebraicisve, aliisq; istiusmodi Verborum globulis utuntur.*
3. *Optimè ille persuadet, non qui multâ verborum congerie orationem constipat, sed qui solidis atque idoneis rationibus utitur.*
4. *Nec quid sit oratio, nec quomodo auditor persuadendus, intelligit, qui unicè hyperbolico dicendi genere delectatur.*
5. *Utile est ad confusionem vitandam, ut ideæ in certas redigantur classes: nec tamen idcircò Aristotelis Categoriæ multum soliditatis aut utilitatis habent.*
6. *Nunquam erramus, quamdiu tantùm de clarè perceptis judicamus.*
7. *Vulgaris Dialectica homines judiciosos aut perspicaces reddere nequit; bene autem loquaces.*
8. *Nec necessarium, nec utile, nec possibile est, omnia definire.*
9. *Certò novimus, esse inter cogitationes nostras & motus corporis nexum aliquem: qualis verò sit, aut quâ ratione certi motus certas cogitationes & vice versâ excitent, ignoramus: nec Aristoteles nec Cartesius multum lucis caligini huic intulerunt.*
10. *Oculus non videt, auris non audit.*
11. *Nullus motus fit in instanti.*
12. *Omne grave est leve & omne leve grave.*

13. *Argumentum Copernicanorum contra hypotheſin Ptolemaicam ab incredibili rapiditate primi mobilis petitum, fortius non eſt argumentis Ptolemaicorum contra Copernicanum ſyſtema à ſenſibus deſumtis.*

14. *Poteſt quis mendacio verum dicere.*

15. *Avarus ſæpe eſt, qui multa nummorum millia erogat.*

16. *Uſus & abuſus affectuum ad præſentis Vitæ felicitatem aut miſeriam præcipuum confert.*

17. *Stolidè Stoici omnia πάθη à Sapiente abeſſe volunt: quâ in re haud abſimiles ſunt illi Thraco apud Gellium, qui, ut arbores vitesq; frugiferas & fœcundas redderet, comas illis omnes citra diſcrimen & palmites, etiam latiſſimos atque uberrimos amputavit.*

18. *Linguarum præcipuè eruditarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, &c. cognitio exacta ad omnes ſcientias utilis eſt; Hiſtorico autem planè neceſſaria.*

19. *Volat ſine alis, qui Hiſtoriam tractat ſine ſubſidio Chronologiæ & Geographiæ.*

20. *Falſum eſt, quod aſſerit πάνυ Bochartus, ſaltem ex Porphyrii verbis cogi nequit, Sanchoniatonem & Gideonem συγχρόνους fuiſſe.*

F I N I S.

Digitized by Google